

res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti: passimque vaenire victimas, quarum adhuc rarissimus emtor inueniebatur; ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus.

X. ORATIONES SELECTAE CICERONIS. *

ORATIO I.

PRO A. LICINIO ARCHIA POËTA.

I. Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exitisse. Quodsi haec vox hujus hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit; a quo id accepimus, quo

* Edit. secunda, Halae Magdeburgicae, 1771. an.